

Anton Affelmann    Nicolaus Pogwisch

## **De Summa Summi Principis Potestate**

Rostochi[i]: Pedanus, 1624

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730919560>**

Druck    Freier  Zugang



Höchste Gewalt des höchsten Fürsten

Inaes.: Affelmann, Anton 16  
Respi. Tawisch, Nicolaus

R. M. jän. 1624







8'

NCI-

NO

ia

æ

1624

Typogr.







*Vmßpfl* Quod Deus bene vertat  
DE  
SUMMA SUMMI PRINCI-  
PIS POTESTATE.

PRÆSIDE  
ANTONIO AFFELMANNO

In Inclita & Celeberrima Academia  
MEGAPOLITANA

Exercitij gratiâ Academicè  
disputabit

NICOLAUS Powisch

*Nobilis Holsatus.*

Ad d. 20. Martij

Anno Æræ Christianæ

M. DC. XXIV.

1624

Frideric. Imp. ap. Gunther. Ligur. lib. 3.  
vers. 476. & seqq.

*Invigilent opibus cupidi; mihi sola potestas  
Sufficit, & cunctis dare jura potentia terris,  
Quo mihi divitias? cui servit gloria mundi,  
Quem possessor opum cum paupere dives adorat.  
Quicquid habet locuples, quicquid custodit avarus,  
Quicquid in occultis, abscondit terra cavernis,  
Jure quidem nostrum, populo concedimus usum.*

ROSTOCHI

Typis exscripsit JOACHIMUS PEDANUS, Acad. Typogr.





STRENUO ET NOBILISSIMO  
V I R O,  
DN. THEODORO  
Pomisch/


Hereditario in Petersdorff & Guldenschein/  
Parenti meo omni observantiæ  
& honoris cultu æternum  
prosequendo,

*Hæc studiorum meorum Academi-  
corum primitias*

In debita observantiæ ac grati-  
tudinis testimonium

*Inscribe ac Offere*

Clavus Pomisch.





## Affertio I.

**S**ummam in Republica potestatem Majestatem appellare solemus à magnitudine, *Bodin. lib. 1. de Republ. c. 8. n. 78. pag. 123.* quam recentiores maximè Politici dispescunt in majestatem Imperij, seu realem; & Imperantis, seu personalem, *Althus. 1. polit. c. 6. Herm. Kirchner. de Republ. disp. 2. thes. 3. Besold. lib. 1. polit. c. 2. §. 2.* Illa consistit in Reip. constitutione, atq; constitutæ conservatione, estq; fundamentum & basis Reip. nec per decessum Principis unà expirat, sed, ut nascitur cum Reipubl. ita etiam cum eadem interit. Quamdiu igitur corpus Reip. durat, tamdiu & ipsa permanet, *Kirchner. d. l. lit. a.* Unde æterna hæc majestas vocatur à *Tacit. lib. 3. annal. (mibi) p. 53.* Atq; hanc Majestatem ejusq; leges ipse etiam summus Princeps comiter observare tenetur, nulla; ratione eam commutare potest, *Bodin. lib. 4. de Republ. c. 3. n. 426. p. 665. Antimach. 1. theor. 1. par. 1. Besold. lib. 1. polit. c. 2. §. 5.* Ex quo fundamento firmiter concluditur Imp. non posse capitulationem Cæsaream, vel Auream Bullam mutare, *Illustrissimus Saxonie Dux in Orat. de German. Leg. Reg. ap. Goldast. Polit. Imp. part. 12. pag. 614. Frider. Horsted. ibid. pag. 612.* Alia ratio est *Majestatis personalis*, quæ est potestas summa, quam qui statui præest obtinet in subiectos. Hæc in personam confertur, & transferri de una in aliam potest, & cum persona concidit, *Tacit. d. l.* Sic Romani Imperij majestas primò penes Reges: exactis Regibus penes populum fuit, qui tandem Lege Regia, sub Augusto, ut putatur



tatur, lata omnem potestatem in Principem contulit, *Dis. Cas. hist. Rom. lib. 53. pag. mihi 506. & seqq.* Atq; de hac SUMMI PRINCIPIS POTESTATE inpraesentiarum breves nonnullas assertiones exercitij Academici gratiâ ad amicam collationem proponere visum fuit. Etsi enim de Principis potestate disputare sacrilegium esse dicitur: non tamen hoc de ea disputatione intelligendum est, quæ hunc sibi tantum finem propositum habet, ut veritas eruatur, sed eâ, quæ in Principis contumeliam vergit, ejus potestatem in dubium revocat, & jus ejus ladir. Imo disse- rendi, non decidendi animo theses, id est generalia nonnul- la axiomata proponimus, quibus nullius præeminentiae præ- judicare possumus.

## II.

Per PRINCIPEM hoc loco intelligo eum, in quem Populus Romanus omnem potestatem contulit, hoc est Imperatorem Romanum, cui uni & soli etiam hodie sum- ma in Orbe Romano competit potestas. Is enim majesta- tem, seu summam potestatem habet, qui post Deum Im- mortalem seipso majorem videt neminem, *Bodin, lib. 1. de Rep. c. 8. n. 8. p. 126.* At Princeps Romanus nullum in terris superiorem habet, sed hanc gratiam soli Deo fert acceptam, qui humanis rebus ipsum proposuit, uti communi Septem- virorum Imperij decreto, *Anno 1338.* tempore Pontificis Be- nediicti XII, publicato, pronunciatum est, referente *Amplis- simo quondam Camera Imper. Assessore D. Thom. & Michaelis de jurid. concl. 2. lit. a. ex Aventin. lib. 8.* Unde de Frideri- co Barbarossa canit *Gunther. Ligurin. lib. 6. vers. 360. p. m. 115.*

— Nullum caput ista super se  
Aspicit, excepto cælorum Rege, potestas.

Et eleganter Caroli V. Symbolum exprimitur hoc disticho:

VIS



*VIS ULTRA? aut ultra non est, quò progrediari,  
Nil ultra est aquilas, Imperijq; decus.*

Deinde cum olim Princeps Romanus summam obtinuerit potestatem, cur eandem hodie non haberet? Nunquam eam ademptam scimus, sed passim in Aurea Bulla & Imperij constitutionibus Imperatori nostro eam attribui legimus. Ipse Turcarum Princeps eam Imperatori Romanorum defert hac formula: *In fide Jesu Nazareni inter ceteros Principes Christianorum summo*, ut apparet ex literis Solymani ad Imp. Fridericum I. quas vid. *lib. 10. epist. Turcic. à Nicol. Reusner. edit.* Quin & ipso facto potestatem hanc ei tribuit, dum non tantum ejus legatis primum inter Orbis universi legatos locum assignat: sed etiam illud permittit, ut sedendo mandata sua exponant, quod aliorum Regum, & Principum legati stando facere coguntur, *Arum. discurs. 1. de jur. publ. fol. 8.* Fatetur hoc ipsum *Bodin. d. c. 8. n. 87. pag. 137.* ubi Imperatorem. Germanorum Principes omnes Christianos dignitate antecedere scribit. Non igitur *Mundi dominus* ad pompam vocatur, ut nugatur *Bodin. d. lib. 1. c. 9. n. 129. p. 203.* sed verè & κατ' ἐξοχὴν, non quod universarum terrarum orbem imperio suo subditum habeat (quod nulli unquam, vel Assyriorum, vel Persarum, vel Græcorum, vel Romanorum Monarchæ contigisse ex historijs patet) sed quòd omnes terrarum Reges, & mundi Dominos gloriâ, & dignitate antecedit, quodq; Romanum Imperium sit quartum & ultimum regnum à *Daniele c. 2. & 7.* prædeterminatum. Atq; hanc ob causam, inter sacra Imperij κημήλια globus præfulget aureus, velut tessera Principem nostrum mundi Dominum esse, *Peetr. de Andl. lib. 2. de Imp. Rom. c. 8.* ritu ab ævo Augusti retento, cujus statua Romæ cum pomo visitur, cui Christiani salutare signum imposuerunt, *D. Zachar. Viet. de exempt. Imp. concl. 1.*



Hinc consequitur erroneam esse Bodini opinionem, qui lib. 1. de Rep. c. 9. n. 122. p. 191. lib. 2. c. 1. n. 181. p. 282. & seq. & c. 6. n. 223. p. 348. & alibi, ex nimia calumniandi libidine, & mero odio ac invidia ob Regis sui Francisci Caroli V. competitoris in Imperio Germanico ambiendo repulsam, non solum omnem majestatem Imperatori nostro derogat, sed etiam Imperij Germanici formam à Monarchia planè alienam, & purè Aristocraticam esse contendit, aliaq; multa ad majestatem & eminentiam Imperij Germanici obfuscamdam, & labefactandam fingit, illudq; eodem quo cadaver loco habet.

IV.

Neq; Imperatoris nostri summam potestatem imminuit, quod Status Imperij non solum Summo Principi adstant, sed etiam consensum suffragantur in conventibus, ut patet ex vulgato diatarum stylo: Wir mit Ihnen / vnd Sie mit Uns &c. Magna enim negotia magnis adiutoribus egent, *Parthen. litig. lib. 1. c. 2. n. 35.* & in maximis negotijs maximorum opus est consilij, qui & facultatem habent exterius, & voluntatem interius, ut rei cui bene capiunt, consulere & velint, & possint, dixit olim Henricus IV. Imp. ad Electorem Coloniensem, prout ex *Reuber. tom. un. rer. German. fol. 195. refert D. Zachar. Viet. de caus. exempt. Imp. concl. 5.* cum quo inverte Bodini argumentum, & Imperij nostri Majestatem inde corroboro, ubi Princeps tantò illustrior, quantò liberioribus, & melioribus præest. Quò Maximiliani I. elogium spectat; Imperatorem Germanorum esse Regem Regum, Hispaniæ hominum, Galliæ &c. Et Carolus V. Imperator in alijs suis regnis mancipijs se, ac servis, in Germania Regibus imperare, dicere solebat. Atq; tamen scitu, & assensu Electorum, & Statuum Imperij hodie



die Imperator leges universales condant; suo tamen nomine eas promulgat hac formula: Wir N. von Gottes Gnaden/ bekennen vnd thun kund allermenniglich / Entbieten allen vnd jeden &c. Neq; eam attribuimus Imperatori potestatem, ut leges secundum propriæ libidinis ductum figere, & refigere, quadrata rotundis, & candida nigris mutare possit: talem potestatem Reges Germanorum nunquam habuisse, testis est Tacit. de morib. German. p. m. 339. Recordare Galliæ tuæ Bodine, cujus Regem Monarcham esse scribis lib. 2. de Rep. c. 1. n. 181. p. 284. & tamen sine approbatione Curiarum majorum edicta Regia nullo modo valere, ipse fateris lib. 1. de Republ. c. 8. n. 95. p. 149. Add. Hotom. de antiq. Gall. jur. c. 23. Reliqua Bodini argumenta solidè refutata invenies ap. Clariss. D. Theod. Reink. tract. de regim. secul. lib. 1. clas. 2. c. 2.

V.

Superiorem & excellentiorem reliquis Orbis Principibus cum Imperatorem dico, Præsulem Vaticanum non excipio: imò nec locum inter Principes seculares huic concedendum arbitror. Separata enim dona Dei sunt sacerdotium, & imperium. Illud Divinis, hoc humanis, seu secularibus præest negotijs. Quod igitur cordatè Galliæ Rex Philippus IV. Pulcher dictus, coram Bonifacio VIII. Pontifice, de se professus: Sciat tua maxima fatuitas in temporalibus nos nemini subesse, idem eodem jure noster Imperator Pontifici respondere potest. Rectissimè Fridericus I. Imperator apud Gunther. Ligur. d. lib. 6. vers. 62.

*Ecclesiam regat ille suam, Divinaq; jura  
Temperet, Imperium Nobis, fascesq; relinquat.*

Plura pro hac sententia vide in lib. Sereniss. Angliæ Regis Jacobi, quem scripsit pro jure Regio contra Cardin. Perron.

Illud



## VI.

Illud interim non nego, alijs etiam Regibus, & Principibus superiorem non recognoscentibus summam in suo regno competere potestatem. Neq; soli Principi, & Regi summam attribuo potestatem, quod facit *Tholosan. lib. 9. de Rep. c. 1.* sed cuivis Reip. perfectæ superiorem non agnoscenti, *Arnif. lib. 1. polit. c. 11. & lib. 1. de jur. Majest. c. 3. n. 1. Besold. lib. 1. polit. c. 2. §. 25.* ita, ut pro diversa ratione gubernationis Majestas alia Monarchica; alia Aristocratica; alia Democratica dici possit. Hinc peccasse dicitur Conradus Badoarius Dux Venetorum, quod à Conrado Imp. jus signandæ monetæ acceperit.

## VII.

Principis potestatem SUMMAM quare appellem ex *assert. 2.* liquet, quia scilicet neq; superiorem, neq; æqualem inter homines ullo modo habet. Illa igitur summa potestas non est, quæ à majore dependet, & circumscribitur: contradictionem enim implicat, summum esse, & superiorem potestatem agnoscere. Non ergo Regi Romanorum, nec Regi Bohemiæ, nec Archiducibus Austriæ, nec Helvetijs, alijsve Vasallis Majestatem propriè dictam inesse puto. Illud concedo: posse aliquem summam in regno suo obtinere potestatem, & tamen alterius Imperij Vasallum esse. Exemplum habemus in Rege Hispaniæ, & Daniæ; quorum hic Vasallus Imperij Romani in quadam parte Holsatiæ: Ille ratione Dusatus Burgundiæ. Illum, qui alterius summi Principis Clientem se profitetur, summam potestatem non amittere existimo: ut nec Tributarium, qui pacis fruendæ causâ certam pecuniæ summam quotannis alteri solvit, ut imperator noster Turcarum Imperatori; & ipse Turcarum Imp. illis populis, qui montes Arabiæ tenent, *Bodin. in method. hist. c. 5.* Vid. omnino *Richard. Dieter. de summ.*



*de summ. sum. Imp. potest. concl. 16. & 17. Reinh. König de  
Majest. ap. Goldast. in polit. Imp. part. 13. pag. 619.*

VIII.

Non autem existimandum est, summam potestatem consistere in divitijs, locorum spatijs, vel numerosa provinciarum multitudine. Non minus enim Regis titulo gaudebat Emathion augustis inclusus pagis, *Justin. lib. 7. p. m. 69.* quàm Alexander Magnus, qui universum terrarum orbem suo subjecisse Imperio videbatur. Eumenes fractis opibus, nihil præter arcem in qua obsidebatur, suum dicere poterat; cum tamen de pace ageretur cum Antigono Asiæ Rege, qui ut potentia, sic etiam dignitate superior videri volebat, legatis Antigoni respondit: Superiorem se neminem accepturum, quam diu gladium exertum manu tene-  
ret, *Ex Plutarch. Bodin. lib. 1. de Rep. c. 9. n. 143. p. 224.* Ratio est, quia forma dat esse rei, non quantitas: & magis, ac minus non variant speciem, inquit Philosophus.

IX.

Deinde potestas summi Principis est PERPETUA, & nullo temporis spatio terminatur, sed cum Imperio ejus oritur, & cum eodem moritur. Hinc nec Consulare Imperium apud Romanos, nec Dictatoris summæ potestatis capax fuit, *Bodin. lib. 1. c. 8. n. 79. p. 124. Besold. d. c. 2. §. 4.* Nec ijs Majestatem tribuo, qui administratores, & curatores regni sunt, ut in Gallia Regentes regni, in Anglia Proreges, in Germania Vicarij Electores.

X.

Præterea Summi Principis potestas est LEGIBUS SOLUTA. Quamvis enim Imperatorem Romanum legibus solutum non esse persuadere nobis satagat *Bodin. d. c. 8. n. 87. p. 137. lib. 2. c. 6. n. 224. p. 349. & seq.* falsissimam tamen esse hanc opinionem ex prædictis liquet. Posita enim Majestate,

B

poni-



ponitur etiam affectio, quod sit legibus soluta, *Bodin. d. c. 8. n. 85. p. 133. Alber. Gentil. de potest. reg. absol. pag. 9.* Atqui Imperatori nostro competere Majestatem *assert. 2.* probavi, & restantur id Imperij constitutiones, & Imperij Proceres indies. Concludo ergo Imperatorem Romanum non olim tantum, sed & hodie legibus solutum esse. Quod tamen indistinctè de omnibus legibus accipiendum non est. Primò enim extra controversiam positum est, Principem *Divinè* decreti teneri: & homine, nedum Principe indigna vox est Julia ad privignum Antoninum Caracallam: Si libet licet: an nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere. *Spartian. in Caracal.* Nec melior illorum judicium ad Cambysem: Nullam se invenire legem, quæ sinat fratri nubere sororem, sed aliam quàm Regi Persarum facere libet, quicquid licet, *Herod. lib. 3. p. m. 170.* O adulationum mancipia! O homines, ut *Tyberij* verbis utar, ad servitutem paratos! *Tacit. lib. 3. annal. pag. m. 69.* Quia verò lex Divina est vel Ceremonialis, vel Judicialis, vel Moralis, quæritur: an ad omnium harum legum observationem Princeps teneatur? Ad legis *Moralis* observationem Princeps indistinctè tenetur: quia est immutabilis Dei voluntas, & æternæ justitiæ regula omnibus præscripta. *Leges ceremoniales* per Christi adventum sunt sublatae. Idem judicium fero de legibus *forensibus*; nisi denuo in N. T. Christianis ad observandum sint propositæ; vel nisi morale quid contineant, ratione ve morali, naturali, ac perpetua nitantur. Præterea etiam lege, vel potius jure & præceptis *Naturæ & Gentium* Principes teneri statuimus. Ex quo etiam consequitur Principem à conventionibus, sive cum amicis, sive cum hostibus, ac barbaris initis discedere non posse; nec fidem hæreticis datam esse violandam. Merito ergo improbatum decretum Pontificis *Johannis 23.* (vel potius 24. ne injuria inferatur



ratur Johanni 8. qui præter naturam masculorum à servo compressus, & sobolem pariens, omnibus hoc suo miraculo ostendit, esse Romano Pontifici aliquid præter naturam, humanam divinitus concessum) quo fides *Johanni Hasso* data violata fuit. Quin & Antecessoris contractum, qui in Imperij detrimentum non vergit servare debet, *vid. omnino D. Theod. Reink. de reg. sec. lib. 1. clas. 3. c. 10.* Legibus autem *Civilibus*, quas vel ipse, vel antecessorejus tulit, omnino solutus est. Dignum tamen est Majestate regnantis legibus se alligatum profiteri, & laudabile est, leges quas condidit factis & vita comprobare, *Sereniss. Angliæ Rex Jacob. in lib. de jur. liber. Monarch. pag. mihi 188. & seq. Nam*

————— componitur orbi

*Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus  
Humanos edicta valent, quam vita Regentis.*

Sic *Lycurgus* nihil lege ulla in alios sanxit, cujus non ipse primus in se documenta daret, *Justin. lib. 3. histor.* De Legibus Imperij *fundamentalibus* dixi *assert. 1.* Illud hoc loco notandum; non pugnare id cum summa Principis potestate, quod Princeps ad illarum legum observationem publica cum Statibus Imperij inita conventionem se devinxit. Pertinet enim ejusmodi conventio ad salutem Imperij, ex qua ipsius Imperatoris autoritas, salus & felicitas dependet. Neque juramentum servandarum harum legum gratia interpositum potestatem hanc evacuat aut absorbet. Ipse namque *Jehova* pro salute Ecclesiæ juravit, cujus tamen Majestas est ineffabilis. Imo si juramento hoc summa potestas læderetur, vix ullus Regum eam salvam haberet, cum etiam Rex Hispaniarum, quando inauguratur suis juramento se obstringat, nec non Rex Galliarum, Ungariarum, Bohemiarum, Angliarum, Poloniarum, ut probat *Excellentiss. D. Theod. Reinkingk de regim. seq. lib. 1. clas. 3. c. 9. n. 18. & seqq.*

B 2

Occa-



# XI.

Occasione præcedentium quæritur: An ex plenitudine potestatis alteri jus suum auferre possit? Si Princeps nullâ legitimâ motus causâ subditorum bona involet, naturæ carceres effringit: Sin justâ causâ impellatur, & justum refundat pretium, non peccat, Non autem est sufficiens causa, si ornatus, vel delectationis causa id fiat, ut probat interitus domus Achabi *1. Reg. 21.* Non refragatur, quod vulgò omnia Principis esse dicuntur. Nam ut eleganter inquit *Seneca de benefic. lib. 7. c. 4. p. m. 506.* ad Reges potestas omnium pertinet, ad singulos proprietas, vid. omnino *Henn. Arriæ. de jur. Majest. lib. 3. c. 1. per tot.*

# XII.

Illud etiam investigandum est: An quoq; *Augusta* potestas sit legibus soluta? Negativæ subscribo. Negata enim Majestate, affectio quoq; neganda est, quod sit soluta legibus. At soli Principi Majestas competit non ejus uxori, utrum ex præcedentibus liquet, tum ex sequentibus patebit. Quoad reverentiam tamen, immunitates, vacationes, & si quæ sunt similia, Princeps eadem illi privilegia tribuit, quæ ipse habet.

# XIII.

Summa ac perpetua hæc potestas suâ naturâ & INDIVIDUA est, ac INCOMMUNICABILIS, *Herm. Kirchner. de Rep. disp. 2. thes. 4.* Ut enim mundus non patitur duos soles, sic Imperium non patitur duplicem Majestatem. Quamvis enim aliquando duo vel plures simul fuerint Imperatores; unus tamen summam potestatem habuit, & verè Imperator fuit, reliqui vel socij fuerunt, vel pro una reputati persona, vel si aliquando plures Impp. simul imperarunt, factò, non juri id adscribendum puto: & sicut plures quandoq; solis imagines apparuisse, sed tandem dissipatos



ros scimus; ita etiam plurimum Impp. regimen, reliquis pro-  
stratis tandem ad unum devolutum fuit.

#### XIV.

Competit Summo Principi summa potestas in S U B-  
J E C T O S, quo vocabulo non tantum cives, & subditi,  
sed etiam peregrini, & qui jure commorationis, jure hospi-  
tij, quodammodo subjecti, & quasi subditi comprehendun-  
tur, *Herm. Kirchner. de Republ. disp. 2. thes. 3. lit. d.*

#### XV.

An autem Clerici quoad personas potestati huic secu-  
lari subjecti sint, elegantis pariter & dubiæ disquisitionis the-  
ma est? Jure Divino Principis potestatem comiter eos ob-  
servare debere affirmare non dubitamus. Præcipit enim  
Apostolus *epist. ad Rom. 13.* ut omnis anima potestatibus  
sublimioribus subdita sit. Si *omnis anima*: ergo & Clerico-  
rum. Et quod docuit Apostolus etiam reipsa præstitit, quan-  
do appellans ad Cæsarem, ab eo se dicit oportere judicari,  
*Act. 25.* Deinde Christi imitatores videri vel maximè vo-  
lunt Clerici. At is tributum non solum solvit Cæsari, quod  
est subjectionis nota: sed & passus est se judicari à Pilato.  
Imò & illi potestatem illam datam cælitus confitetur. Sed  
hæc latius, & cum apparatu persequi locus hic non permit-  
tit. Vide, si lubet *D. Arnise. de exempt. cleric. c. 3.* Illud  
concedimus ex privilegijs Principum secundum quid à ju-  
risdictione seculari eos esse exemptos, *Arnise. d. l. Add.*  
*Ampliss. D. Thom. Michaelis de jurisd. concl. 10.*

#### XVI.

Versatur summa Principis potestas primò circa res *Ec-  
clesiasticas*, Est enim Magistratus utriusq; tabulæ Decalogi  
custos, & crimina contra utramq; commissa meritò punit:  
omnemq; curam & sollicitudinem in eo collocabit ut reli-  
gionis imprimis summa habeatur ratio, *Bodin, lib. 6. de*



*Rep. c. 1, n. 631. pag. m. 986.* Hinc Imperator, in multis Imperij Recessibus supremus Ecclesiæ Præfectus & Advocatus vocatur: Quam ob causam etiam *Lutherus* ad *Carolus V.* scribit; se confugere ad ipsum, tanquam aram præsidiumq; & rogare, ut doctrinæ Christianæ tutelam suscipiat, *Johan. Sleid. de Stat. Relig. & Reip. lib. 1. pag. m. 39.* Consideravit hoc *Electo* *Trevirensis* in electione Caroli V. dum dicit: Talem Respublica desiderat, qui præter alia constituat & emendet Ecclesiæ statum, *Sleid. lib. 1. pag. 22.*

XVII.

Cum autem nihil ad conciliandas dissensiones, & extirpandos errores salubrius sit quam conciliorum convocatio, *P. Gregor. Theolof. de Republ. lib. 13. c. 1. n. 16.* ideo etiam Summo Principi meritò ea competit, qui non solum interesse, sed etiam præesse concilij debet, *X. A. 34. Eucher de anno 1526. §. Und erstlich nach dem in fin. & de anno 1529. §. Wo aber auff obbestündte.* Atq; olim etiam Impp. jus hoc usurpasse exempla *Constantini Magni, Theodosij Magni, Theodosij Minoris, Marciani,* & aliorum comprobant. *Uld. D. Cran. de pac. relig. part. 2. probl. 4. pag. 230. & seqq.* Ex quo apparet, quid sentientiendus sit de concilio Tridentino quo Religionis impetratam securitatem sublatam esse falsò Pontificij clamitant.

XVIII.

Quoniam potestas hæc Ecclesiastica etiam ad causarum hæreticalium cognitionem maximè pertinet, non ineptè hoc loco disquiritur: An Princeps capitali pœna in hæreticos animadvertere possit ac debeat? Per hæreticum autem non intelligimus eum, qui hæreses spargit, alterum seducit, neq; eum, qui seditiosus, pacemq; publicam violat, nec blasphemum, sed eum, qui solam hæresin privatim fovet. Ejusmodi hæreticum capitali supplicio in N. T. non esse afficien-



afficiendum statuimus. Nullum enim de occidendis hæreticis in N. T. habemus mandatum, sed jubentur relinqui hæretici cum Orthodoxis, *Matth. 13. v. 29. & 30.* Cavere & vitare jubemur hæreticos, *Tit. 3. v. 10.* quem autem vitare debemus, cum vivere oportet. Rectè tria sibi reservasse Deum dicere solebat Laudatissimus Poloniae Rex *Stephanus*. Ex nihilo aliquid facere, scire futura, & *conscientijs dominari.*

I X.

Præterea quia ordinatio Ecclesiæ magna ex parte ab ordine temporum, mensium, & dierum dependet, ideo Impp. non minimam industriam in ordinatione temporum, merito locant, exemplo *Julij Caesaris*, cujus Calendario adhuc hodiè in multis locis utimur. Papa Romanus *Gregorius 13.* Anno Christi 1588. novum Calendarium Pontificiæ auctoritate condidit, quod in gratiam Pontificis non facilè recipiendum esse probat *Clariss. D. Theod. Reink. de regim. sec. & Eccl. lib. 3. cl. 1. c. 2. n. 24.* *D. Henr. Andr. Cran. de pac. relig. p. 1. probl. 5.*

X X.

De alijs, quæ ad potestatem & curam Principis Ecclesiasticam pertinent hoc loco prolixius differere nostri non est instituti. Illud tantùm moneo, Bona etiam Ecclesiastica certo respectu Principis potestati esse subjecta, ita ut de ijs Princeps disponere possit; *Vid. omnino D. Arnisa. de exempt. cleric. c. 4.*

X X I.

Pergendum ad summam Principis potestatem *Politiceam*, quæ consistit in summis Reip. conservandæ, ac tuendæ muneribus ac juribus civilibus, *Kirchner. de Rep. disp. 2. thes. 4.*

X X I I.

Quænam illa sint jura, unde eruenda mirè *Dd.* variant, *Bodin.* (cui inter politicos scriptores, ubi affectibus non indul-



indulget, jure merito palma debetur) *lib. 1. de Republ. c. 10. n. 153. 154. 155. 158. 160. 163. 164. 167.* septem Majestatis jura constituit. Primum ac præcipuum esse dicit; *legem universis ac singulis civibus dare posse.* Alterum; *bellum indicere, ac pacem inire.* Tertium; *Magistratus mandare.* Quartum dicit esse *extremam provocationem.* Quintum; *jure, vel injuriâ damnatos, contra vim legum, ac judiciorum liberare.* Sextum; *fidelitatis & obsequij sine exceptione superioris præstationem.* Septimum; *nummorum pretium, pondus & figuram præscribere.* Alij aliter.

### XXIII.

Illud controversum maximè est: an jus Regis, quod *1. Sam. 8. v. 11. & seqq.* describitur, ad jus Majestatis pertineat? Sunt equidem non tantum ex JCtis & Politicis, sed etiam Theologis quàm plurimi, qui d. l. non jus sed pravam Regum consuetudinè, seu tyrannidem describi putant, quorum cumulum vid. ap. *Ampliss. & Excellentiss. JC. D. Cass. Kloß de contrib. in Imper. usit. concl. 46. Besold. lib. 1. polit. c. 2. §. 45.* Mihi, salvo aliorum judicio, sermo in d. c. esse videtur de vero Majestatis jure ac potestate jure concessa, non de tyrannide. Nam *1. Sam. 10. v. 25.* Deinde Propheta Israelitis describit peculiare aliquod jus Regis illius, qui eis imperaturus erat. At mores pravi, & tyrannici aliorum etiam fuerunt magistratum, quos potestate sua abusos fuisse constat ex *c. 9. Judic. v. 1. & seqq. & d. lib. 1. Sam. c. 8. v. 3.* Tertiò nihil in d. c. 8. recensetur, quod non urgente necessitate Rex à subditis exigere possit. Deniq; non dubito, quin hanc esse Prophetæ mentem etiam existimaverit *B. Lutherus* qui *v. 9. & 11.* vertit, *Das Recht des Königes.* Ob ea, quæ in contrarium adduci posse videntur notabis 1. distinctionem inter temerariam



ariam Regis cupiditatem, & Reipubl. utilitatem ac necessi-  
tatem 2. inter rem, & rei modum, quod fusus in in ipsa col-  
latione *ovv* *Jeſu* declarabo. Objiciunt dissentientes: *Samue-*  
*lem* loqui ex ore Dei irati. Ita est; sed propterea hoc fit,  
quod Israelitæ formam regiminis à Deo institutam proprio  
arbitrio mutare volebant, & ad imitationem aliarum gen-  
tium Regem Monarcham petebant: fastidio illo Divinæ or-  
dinationis, & fiduciâ in Regiam potentiam Deum ad iram  
commovebant. Deinde objiciunt scopum *Samueli* fuisse  
dehortari populum à proposito, ut ex *v. 19.* apparet. Con-  
cedo & illud, sed causam hujus jam indicavi: deinde pro-  
pterea dehortatur eos Propheta, quia jus illud Regium faci-  
le degenerat in tyrannidem, nisi debito loco, & tempore, ac  
cum moderatione quis eo utatur.

#### XXIV.

Communitè à Politicis jura hæc Majestatis dispescun-  
tur in *Majora*, & *Minora*, quam divisionem retinere placuit.  
*Majora* appellantur, in quibus potissimum suprema pote-  
stas, dignitas, & præminencia Principis relucet. Hinc à  
nonnullis potentiora; personæ Principis adhaerentia; ossibus  
Principis coherentia; ipsi coronæ connexa; reservata *uſq̃*  
*ſeſoſlu* dicuntur.

#### XXV.

Inter *Majora* hæc Majestatis jura insigniter conspicuum  
est, *jus condendi legem universalem nec non eandem abrogan-*  
*di*, quod etiam à *Politicorum Papiniano Joh. Bodino* primo  
loco collocari *aff. 22.* dixi: quatenus verò illud hodie in  
Roman. Imperio centro & spacio circumscriptum sit ex  
*assert. 4.* patet. Specialem & localem legem inferiores etiam  
Principes, & Status Imperij in suis territorijs, & provincijs,  
rectè condunt, secundum quam Camera etiam Imperialis  
obstricta est pronunciare, *Cam. Ordn. p. 1. tit. 59.* Quemad-

C

modum



modum autem solius summi Principis est leges universales  
ferre, ita etiam *interpretatio* ad eum spectat. Ad primum,  
hoc jus referri etiam non incommodè potest *potestas solven-*  
*di aliquem à legibus, & irrogandi privilegia.* Hinc *l. 12. tab.*  
ita cavetur: *Privilegia nisi comitijs centuriatis ne irroganto:*  
*qui secus faxit, capital. esto,* Bodin. *lib. 1. de Rep. c. 10. n. 154.*  
*p. 241.* Habet igitur summus Princeps potestatem condo-  
nandi & remittendi scelera, quorum poena ob politicas dun-  
taxat rationes introducta, neq; ad autoritatem decalogi  
tuendam à Deo ipso sancita, *Arnif. lib. 1. Polit. c. 11.* Galliae  
Reges nihil magis Regium arbitrantur, quàm damnatos sup-  
plicio eripere, quod ne Matri quidem Reginae sine Majesta-  
tis detrimento concedi posse curia Lutetiana judicavit, *Bod-*  
*in. d. c. 10. n. 164. p. 258.*

#### XXVI.

Alterum summæ potestatis jus est in *Bello*, quod indi-  
cere, gerere, & finire, Summi Principis proprium est, licet  
administratio alijs committi soleat, *Bodin. d. c. 10. n. 155. &*  
*seq. p. 244. Lipsius lib. 5. polit. c. 4. n. 1. & 2. Amplif. Dn.*  
*D. Thom. Michael. de jurisd. concl. 11. lit. a. P. Greg. Tholos.*  
*lib. 11. de Republ. c. 1. n. 2. Arnif. lib. 2. de jur. Majest. c. 5.*

#### XXVII.

Tertium summæ potestatis jus in *Magistratibus Majori-*  
*bus creandis, & dignitatibus conferendis, iisdemq; adimendis*  
*positum est,* Bodin. *d. c. 10. n. 158. Tholos. de Rep. lib. 9. c. 1.*  
*n. 34.* Summi igitur Principis est creare Reges, Electores, Ar-  
chiduces, Duces, Principes, Comites, Barones, Nobiles, Co-  
mites Palatinos, Doctores, Licentiatos &c. Est enim digni-  
tatum & honorum omnium fons, & scaturigo augustissima.  
Sic *Henricus V. Uratilaum* Ducem Bohemiae Regio  
titulo exornavit, *Dubrav. lib. 9.* Et *Fridericus 1. Petrum Da-*  
*niae Ducem* ad Regij honoris fastigium evexit, *Thritem.*



c. 17. Otto III Imp. Polonia Principi Boleslao Regia stemmata dedit, Otto Frising. lib. 7, c. 17. Peucer. lib. 4. in vita Otton. quod jus creandi Reges soli Romanorum Principi competit, ut vel hinc præ eminentia nostri Imp. satis probetur, Kirchner. de Rep. disp. 2. thes. 5. lit. d. Principes etiam, Duces & Comites &c. ab Impp. Roman. non semel creatos notius est, quàm ut probatione egeat. Invictissimum nostrum Imp. Ferdinandum II. (cui felicissimum precamur Imperium) non ita pridem Principalem dignitatem contulisse Ernesto Comiti Schaumburgico, scimus. Et Bethlehem Gabor Imperij Princeps ab hoc nostro Imperatore creatus, & ab eodem eadem dignitate privatus.

#### XXVIII.

Referendi etiam huc sunt alij actus, veluti jus Academiæ, Strapulas, cursus publicos, quos Postas dicimus instituendi & confirmandi, jus civitatis tribuendæ, Vid. D. Thom. Michaelis de jurisd. concl. 12.

#### XXIX.

Quartum jus in extrema provocatione consistit, quod jus adeo sanctum habetur, ut qui sciens prudensq; à Summo Principe provocarit, capitali fraude teneatur, Bodin. d. c. 10. n. 163. p. 256. Richard. Dieter. de summ. sum. Imp. potest. concl. 126. nisi forte exemplo Machetæ id fiat, quem cum damnaret Macedonia Rex, qui dormitans non observabat, quibus ille juribus se tueretur, exclamat damnatus, se provocare. Interrogante Rege: ad quem provocaret: Ad te ipsum, inquit, ô Rex, si quidem vigilans, & attentus audias. Et quidem Principes omnes Regis illius exemplum & imitari debent: is enim provocationem illam admisit, & quia res à se judicatas rescindere turpe ducebat, quò minus levitatis, & inconstantia argueretur Machetæ damnum illatum de suo sarcivit, Bodin. d. l.



## XXX.

Quintum est *jus nummi percutiendi, imagine signandi, ejus valorem, & potestatem constituendi*, Bodin. d. l. n. 167. p. 262. quod Carolus Magnus ita proprium sibi habuit, ut nullibi, quam in proprio palatio monetam cudi voluerit, *Sixtin. de regal. lib. 2. c. 7. n. 14. & seqq. Arnif. de jur. Majest. lib. 2. c. ult. n. 4.*

## XXXI.

Longè plura summæ potestatis jura Majora ab alijs adduci non ignoramus; sed nobis præcipua tantum pro institutioni ratione recensere, & breviter tantum attingere placuit.

## XXXII.

Minora summæ potestatis jura sunt, quæ ad fiscum Principis augendum pertinent, quæ iidem varia sunt; & incertas classes redacta prolixèq; explicata ab *Arnif. d. l. tract. lib. 3. Sixtin. & alijs.*

## XXXIII.

Referuntur huc *viæ publicæ, Offene / Land vnd Heerstrassen* / quatenus reditus omnes, qui ex vijs publicis dependent, ad fiscum pertinent. Incumbit autem Summo Principi, & omnibus ijs qui ab eo viam publicam habent, curare, quæ ad viæ securitatem spectant. Unde dicere solitus fuit laudatissimus Hassiæ Landgravius Philippus: *Man soll einen Fürsten kennen bey Keiner Strasse / guter Münze / vnd haltung beschehener zusage / Warem. ab Erenb. de regn. subsid. c. 5. n. 37.* Atq; ut eo certior sit viarum securitas, jus per vias publicas euntes, redeuntesq; conducendi introductum est.

## XXXIV.

Pertinent præterea huc *flumina navigabilia: Portus*, h. e. vestigalia, quæ pro transitu per pontem, vel in portu solvuntur; *Ripatica*, h. e. quæ pro transitu riparum præstanda:



da: *Vestigalia: Tributa: & similia*, quorum unumquodq;  
cum peculiarem mereatur tractationem & disputationem,  
quodam tantum hic indicasse sufficiat.

XXXV.

Illud omittendum non est, quod minorum horum  
jurium exercitium & usurpatio facilius alijs concedi soleat,  
quam majorum, *Kirchner. de Rep. disp. 2. thes. ult.* Conces-  
sione autem illa ipsa Majestas seu summa potestas, quæ in-  
dividua & incommunicabilis, ut supra dixi, nequaquam  
transfertur, vel imminuitur, sed summo Principi tota, &  
integra perpetuo reservatur, & is tantum jura quædam per  
eos, quos in partem sollicitudinis, non plenitudinem po-  
testatis assumpsit tanquam manu propria exercet, *Kirchner.  
d. disp. thes. 4. in fin.* Unde jura hæc concessa, Regalia qui-  
dem nominari, quatenus à solo Rege proveniunt, non  
autem jura Majestatis dici posse, monet *Besold. lib. 1. polit.  
c. 4. §. 10.*

XXXVI.

Restat, ut explicemus: qua ratione summa potestas  
amittatur; quod fit primò voluntate spontanea, Cessione  
scilicet, vel resignatione: deinde coacta voluntate, veluti  
Morte Principis: status unius in alterum mutatione: nec  
non Bello, & Depositione. Sed quia prolixiori stylo hæc  
excutere disputationum lex vetat, nec per temporis angu-  
stiam id in præsentiarum licet pedem hic figo, relinquens  
unicuique jus saluum, saluum itidem judicium, in primis

TRIBUENS

GLORIAM DEO, ET LAUDEM  
NOMINI EJUS.

AUCTARIA.

I.

*Miror excellentissimi ingenij & judicij Virum Joh. Bodin. lib. 1.  
de Rep. c. 6. n. 54. p. 185. scribere: Publicum Pontium Palestina Præf.*



dem Christum adversariorum manibus ac supplicio erepturum fuisse, si Majestatis crimen, quod illi intentabat effugere potuisset. Quid audio? An is Majestatis crimen effugere non potuit, qui delinquere nescivit, & in cujus ore dolus nunquam inventus? Dura certè locutio est, quæ vix excusari potest.

I I.

Non satis modestè & honestè de Sacratissimo Principe Justiniano loqui videtur idem lib. 1. de Rep. c. 3. n. 17. p. 26. quando ejus uxorem Theodoram fasces Imperij marito stupido, & illiterato Principi admisse scribit.

I I I.

Ejusdem farinae est, quod lib. 1. de Rep. c. 9. n. 145. p. 227. scribit; Imperium Germanicum antea fuisse Francorum provinciam, nec Imperatores Germanos id negare: & quod c. eod. n. 136. p. 213. asserit: Princeps Germanorum nomen Imperatorium, Caroli Magni armis ac virtute partum, nullo jure usurpassè.

I V.

Male idem lib. 5. de Rep. c. ult. n. 618. pag. 967. scribit: Carolum V. Imp. nullo jure Regis Gallie Legatos ad portam Ottomannicam missos interceptisse.

V.

Nec probandum est, quod lib. 3. de Rep. c. 4. n. 294. pag. 458. scribit Papinianum fortiter magis, quàm sapienter fecisse, quod vitam maluerit amittere, quàm Caracallæ mandato obsequi.

V I.

Non credimus eidem auctori, quando lib. 5. de Rep. c. 6. n. 583. & seq. p. 912. & seq. scribit: per caput trigesimum quartum fœderis, quod à Principibus nonnullis Romani Imperij cum Galliarum Rege Henrico Chamborti, (ut & ipse putat) vel potius Fridewaldæ in arce venatoriâ Hassiæ anno 1552. contractum, licuisse Regi Galliæ occupare tres Urbes Imperij Germanici, Gallis finitimas, & Gallica lingua utentes; Metim, Tullum, & Verodunum. Neg, id nobis persuadebit, quod d. 1. scribit. Anno 1565. Augustæ omnium Imperij Ordinum consensu aperte decretum esse bellum adversus Regem, ni urbes illas Imperij restituere vellet: Ut nec illud, quod ibidem Regem admonitum finxit, Ordinibus Imperij gratum fore, si prædictas urbes sub fiducia Imperij retineret. Rationes nostræ dissensus postulantis reddemus.

IN





IN

*Nobilissimi, Literatissimiq; Juvenis,*

**DN. NICOLAI POWISCHI,**

*Equitis Holsati,*

*Disputationem Politicam*


EPIGRAMMA.

**C**onantur varij, Summorum scribere Regum  
*Jura potestatis: quæ tamen usq; latent.*  
*Hinc sua, pro modulo, cuius stat gloria: namq;*  
*In rebus tantis, est voluisse satis.*  
*Viribus ingenij melior POWISCHIUS Heros*  
*NICOLAUS, claro de GENITORE satius.*  
*Quem Deus omnipotens Virtutum dotibus auxit,*  
*Ac THEODORICI nomen habere dedit.*  
*Multorum mores, populorum vidit, & Urbes,*  
*Notitia ut rerum non sit Ulyssè minor.*  
*Germanos, Italos, Gallos, Alpinaq; regna*  
*Lustravit, studijs excoluitq; suis.*  
*Filius esse solet similis plerumq; parenti:*  
*Ut generosus equus traducis instar habet.*  
*Accedit PATRI nomen grave Martis & Artis:*  
*Ingens Holsatici lausq; decusq; soli.*  
*Plurima quorsum opus est exempla domestica vitæ*  
*Splendidioris, in hoc pernumerare loco:*  
*Regibus & Danicis est, Cymbrorumq; Dynastis,*  
*Ardua POWICSHUM sæpè probata fides.*  
*Nemo igitur miretur, & hunc juvenilibus annis,*  
*Edere doctrinæ nobilioris opus.*  
*Semina sunt patriæ, simul & prudentiæ avitæ;*  
*AFFELMANNIACO concalefacta foco.*

SIMON TOELMAN Pom. D.

*αὐτοχρηδίζων; XI. Martij; 1624.*





AD NOBILISSIMUM ET  
PRÆSTANTISSIMUM

Dn. RESPONDENTEM,  
amicum suum.

**D**icitur: obstringunt duo vincula firminus uno;  
Arctius & fibris stricta catena ligat.  
Sic mage Nobilitas juncta virtute coruscat  
Et proavum duplici crescit honore genus.  
Nobilitas nudata jacet Virtutis honore,  
Nobilitas verè parta labore micat.  
Parta labore micat Virtus, & Nobile nomen;  
Ambitionis opus laudis odore caret.  
Perge modò egregium Virtutis adire laborem:  
Virtutis cœptus continuetur amor.  
Clariùs hinc quondã tua stemmata clara lucebunt,  
Et gemina laudes Nobilitatis erunt.

THEODORUS VARMEJER  
J. U. D.











D

D<sup>lc</sup>

Sic mag

Et

Nobilit

No

Partal

Am

Perge n

Vu

Clarius

Et














et similia, quorum unumquodque  
tur tractationem & disputationem,  
licasse sufficiat.

### XXXV.

non est, quod minorum horum  
usurpatio facilius alijs concedi soleat,  
*ner. de Rep. disp. 2. thes. ult.* Conces-  
sajestas seu summa potestas, quæ in-  
cabilis, ut supra dixi, nequaquam  
uitur, sed summo Principi tota, &  
atur, & is tantum jura quædam per  
ollicitudinis, non plenitudinem po-  
am manu propria exercet, *Kirchner.*  
nde jura hæc concessa, Regalia qui-  
nus à solo Rege proveniunt, non  
dici posse, monet *Besold. lib. 1. polit.*

### XXXVI.

mus: qua ratione summa potestas  
mò voluntate spontanea, Cessione  
e: deinde coacta voluntate, veluti  
s unius in alterum mutatione: nec  
tione. Sed quia prolixiori stylo hæc  
plex vetat, nec per temporis angu-  
m licet pedem hic figo, relinquens  
salvum itidem judicium, inprimis  
TRIBUENS  
DEO, ET LAudem  
OMINI EJUS.

### DUCTARIA.

#### I.

*ingenij & judicij Virum Joh. Bodin. lib. 1.*  
*tribere: Publium Pontium Palestina Præf.*

G 3

dem